

**DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
SCORBUTO**

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS ET DIRECTORIS
SPECTABILIS AC PERILLUSTRIS DOMINI DECANI

XEC NON
CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
RITE OBTINENDA
IN ALMA AC CELEBERRIMA
REGIA SCIENT. UNIVERSITATE HUNGARICA
PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

MARCUS RAPPAPORT
GALICIANUS LEOPOLIENSIS.

In Theses adnexas publice disputabitur in Universitate
PALATIO MAJORI, die mensis Junii 1833.

PESTHINI,
Typis JOSEPHI BEIMEL.

Seinen
innigstgeliebten Eltern
widmet
diese Blätter
als Zeichen
der reinsten, kindlichen Liebe
und
Dankbarkeit

der Verfasser.

D e f i n i t i o .

Scorbutus, Anglis Scurvy, Gallis scorbut, Germanis Scharbock, verisimiliter a slavica voce Scorb, quod morbum universum indicat, derivatur; morbum sistit cachecticum, qui debilitate totius corporis, sensu lasitudinis post somnum aucto, segnitie motus, genuum rigiditate, dispnoea, gingivarum laxitate, dentium vaillatione, maculis lividis, cute squalida aut sicca, urina profunde rubra in putredinem ruente, proclivitate in hemorrhagias, externas, quam internas insig-
nitur.

O r i g o .

Juxta mentem celb. virorum, morbus hicce, jam primis cultoribus medicae artis notus fuit; verisimile tamen est, cachexiam hanc antiquissimis exstitisse temporibus, alioque tamen nomine signatam fuisse. Sic jam Hypocrates de magnis lienibus sequentem exhibuit imaginem: venter inflatur, turget, dolores in regione lienali acuti sunt, color faciei pallidus, nigrescens, gingivae male olent; a dentibus abacendunt, ulcera in cruribus comparent, faeces non secedunt; quae dicta cum essentia morbi describendi congruunt.

Congruunt quoque quae, de Ileo agens, dicit: gingivae male olent, a dentibus abscondunt, e nari bus sanguis fluit, ulcera nigri coloris ad crura etc. Ad Scorbutum etiam pertinere videntur, quae Plinius in Hist. natur. lib. XXV. cap. 3. scribit:

Caesaris exercitus ad Rhenum deductus fontium venenatorum injuriis prehensus est, morbis duobus novis: Stomacace et Scelotyrbe. Certe scorbutus omni aëvo organismum humanum invasit, causis quae morbum producunt, jam hic, jam alibi praesentibus. Quod autem serius descriptus sit, inde pendere videtur, quod populi Septentrionales, apud quos saepius occurrit, serius operam naverint scientiis, seriusque incolis calidiorum regionum innotuerit: quibus morbi descriptionem primam debemus. Eo quoque tempore et plura, et majora itinera marina suscepta numerum scorbuticorum angebant, occasionem praebendo et observationi et descriptioni morbi.

E praegressis simul elucet, quare Scorbutus a veteribus raro descriptus sit, illi enim juxta littora navigantes, terraeque saepius redditi, scorbuto minus suere obnoxii, rarioremque illum observandi occasionem praebuere. Saeculo tamen XVI ubique fuit notus et a pluribus descriptus, quo tempore singularem omnium medicorum attentionem sibi conciliavit; et non paucos ut fieri solet ad diversos deduxit errores. Omnes enim morbi reproductionis chronicci: Arthritis, Rheumatismus, Hypochondria, exanthemata chronica etc. dispositioni et acrimoniae scorbuticae adscribuntur, praecipue pathologia humoralis eo tempore regnans, ubique scorbutum occultum videbat. Ultimis saeculi tamen elapsi temporibus, ab erroribus

his recessum fuit, praecipue cum scripta egregia medicorum Anglorum, Lind, Milmann, Blanc, clariorem naturae Scorbuti Ideam praebuerint. —

N o s o l o g i a m o r b i .

Decursus scorbuti est latus et diutinus, distinctus tamen a stadiis, quae cum propriis sese manifestant Symptomatibus. Consuetim tria distinguuntur stadia: stadium incipiens, increscens et conclamatum.

Stadium primum. Prima phoenomena sunt: pallor universalis, faciei intumescentia, virium muscularium languor, pallor et livor labiorum et carunculae lacrimalis, vultus tristis et melancholicus, morositas et depresso animi, moeror, corpus iners et pigrum, dispnoea, halitus oris graviter olens, gingivarum pruritus et intumescentia, quae molles fiunt nigrescentesque, oriuntur suggillationes, uti a contusionibus, quae maculae mox morsibus pullicum, mox lenticulis similes sunt, si minimae: petechiae vocantur scorbuticae et distingenda sunt a petechiis symptomatice apparentibus; si autem ita confluunt, ut virgae fere formentur, vibices dicuntur. Haec maculae comparent saepe in extremitatibus, et pectore, nunquam autem in illis locis quae continuo aeri et soli exposita sunt. Oriuntur praeterea sternodynia, lumbago, animi deliquum, praecipue occurens si aegroti aeri exponuntur. Urinam aeger mittit turbidam fuscam, in putredinem pronam, sanguis quacunque ratione evacuatus nigricans est, multum seri tenens, placentam mollem formans

mox putrescens. Pulsus est mollis debilis, affibrilis.

Stadium secundum. Diserasia in diem in crescens, maculae intensitate et numero augentur, his hemorrhagiae variae ex diversis colatoriis ob sanguinis dissolutionem sese adsociant, inde habetur epistaxis, haematemesis, diarrhoea et dysenteria sanguinea, mictus cruentus, metrorrhagia, sudores cruenti, hemorrhagiae internae transudatio sanguinis in superficiem membranarum mucosarum, vel in cavo thoracis et saliva copiosior fit, dentes adamantino principio destituuntur, putrescant, nigri fiunt, cariosi vacillantque, et de gingivis secedunt; rarioribus in casibus maxillae carie corripiuntur, praesertim si scorbutus hominem infestat mercurio saturatum, accedunt praeterea dolores rheumatici, vagi ab initio, postea magis fixi ad extremitates, constituuntque: arthralgiam scorbuticam; denique peculiares dolores in genibus: nomine Gonagrae scorbuticae noti, quae temporis tractu in veram rigiditatem, aut ankylosim spuriam transit; intumescunt crura, et sub atrocibus incurvantur doloribus, vel rigescunt plane, ligni adinstar, appetitus urget peculiari cum inclinatione ad substantias vegetabilis, animus semper tristis et melancholicus tamen cum mentis praesentia.

Stadium tertium. In hoc stadio oritur non raro helcosis scorbutica, cum ulceribus luridis foetentibus aut etiam sphacelus, diuturnus evolvitur vomitus, diarrhoea et dysenteria cruenta, quae non raro particulas in imae intestinalium membranae e corpore eliminat, totumque systema reproductivum ita patitur, ut

marasmus oriatur. His omnibus associantur symptomata nervosa, nascuntur tremores, convulsiones, tendinum subsultus, neque ipsa ossea compages libera manet; docente enim Hofmanno ossa fiunt molliora, incurvantur et nascitur: osteomalakia scorbutica sic dicta: rachitis ad ultorum, nonnunquam singularis oritur fragilitas, quae: osteopsathyrosis nominatur. Subtanta malorum serie vel ex hemorrhagiis, vel ex debilitate pereunt homines.

Hic etiam morbus scorbuto maxime analogus mentionem meretur, nomine Stomacaciae notus, qui revera nihil aliud est, quam scorbutus partialis, scorbutus oris. Moderator meus ingeniosissimus, acutissimus ab Hildenbrand, sequentem hocce de morbo exhibit imaginem: duae statuuntur Stomacaciae varietates, quarum prima: Uritis septica, in phlogosi gingivarum, ad liquationem nitente, consistit, quae diversa celeritate in aphtas sordidas vel ichorosas degenerat exulcerationes, insignis ardoris sensu, halitu graveolente, facili sanguinis atri secessu, salivae profluvio, ac levitumore glandularum vicinarum stipatas, comite persaepe febri; ultra gingivas tamen non extenditur, et vix unquam in scorbutum generalem transit; altera vero ulcus constituit gangrenosum, quod gingivas, labia, et genas tenerorum praesertim infantium depascitur, ac ideo medicis: Noma seu Cheilocace audit. Quibusdam antiquioribus: Labrosulciu[m] compellebatur, ob labiorum tumorem durum sulcis sanie madentibus, intersectum. Cel. Van Svieten tandem morbum nomine: Gangrenea oris interni exacte descriptis.

In Belgio, ubi **Cheilocace scorbuticum** frequentem esse morbum referunt, Waterkanker vocari solet, quod idem ac **Cancer aquaticus** (Germ. **Wasserkrebs**) significat, quia cancri instar exedit omnia atque jugi stipatur tenuis Salivae fluore.

Terminationes.

Nosogeniam Scorbuti sat claram habemus, hanc ob rem non infreuerter in sanitatem abit, qui exitus etiam in tertio studio locum habere potest, et revera multis in casibus etiam contingit, sed quamprimum diu negligitur morbus, et circumstantiae accedunt diversae, vel therapia insufficiens, tunc per Syncopem lethalem, aut per hemorrhagias externas, vel internas, per debilitatem, marasmus, in mortem transit. Saepius scorbutus aliis cedit morbis cachecticis, uti dolori chronicō, contracturae artuum, et ankylosi spuriae, ulceribus profluviisque diversis.

Duratio morbi inconstans est, nonnunquam valde latus et ad menses extenditur, aliis in casibus ad aliquot restringitur septimanās. Ut in aliis morbis gradus et vehementia, influxus causarum nocentium, constitutio aegri, medela adhibita, et circumstantiae faventes vel malignae, diversae hujus durationis causam gerunt; sic in genere maritimus scorbutus, multo periculosior decurrit; et intra paucas septimanās lethalis evadit, magis lentior terrestris progreditur et longo tempore faciem exhibet eandem.

D i v i s i o .

Dividunt scorbutum in maritimum et terrestrem ; caret vero haecce divisio omni valore practico, in utroque enim morbo eadem agunt causae, uterque morbus iisdem sanatur remedii. Terrestrem in carcerarium, nosocomialem, sporadicum, endemicum, epidemicum, congenitum et aquosum, in simplicem et complicatum, regularem et anomalam subdividunt.

Prae aliis placet divisio in acutum et chronicum, febrilem et afebrilem, in simplicem et complicatum.

A e t i o l o g i a .

Scorbutum, caeteris paribus longe facilius subeunt homines phlegmatici, laxi, exhausti, convalescentes, morbis diurnis et praesertim aliis cachecticis uti; hydrope, ictero, chorosi, tabe etc. confecti, praeterea pauperes, egeni adversa sorte oppressi atque necessariis carentes vitae adminiculis qua propter ipsae calamitates publicae, bellorum tumultus, annonae charitas, insalubris loci situs, in pluribus saepe hominibus fovent dispositionem. Disponunt praeterea aetas proiecta, animi imbecillitas, tarditas, tristitia, animi pathemata deprimentia; hinc populis septentrionis, regiones altiores inhabitantibus, incultis, tardis, dura sorte pressis, magis infensus; Belgas tandem obesos et atrabiliares Britanos libentius divexat.

Data dispositione causae excitantes habentur, in omnibus potentissimis nocivis, quae nisum in liquationem

promovent, quae directe nempe in vegetationis processum influunt; chemicas massae organicae relationes, miscelam et elementorum proportionem alterando. Si vero liquatio, putredini proxima, vitae e diametro opposita, essentiam sistit morbi, detractio incitamentorum vitalium, atque concursus potentiarum processui vitali inimicarum, principales largiuntur scorbutici statu fontes.

Aer atmosphericus commune illud omnium entium organicorum pabulum, multimodo vitale robur pesundare, et munus hematopoeseos offendere valet, ubi vel consuetis saluti amicis elementis inops, vel plane deletariis contaminatus fuerit. Per eminentiam insimulari meretur aer humidus, debita oxygenii quantitate privatus, impurus, effluviis animalium vel vegetabilium putrescentium contaminatus.

Omnes igitur mephitum species, quas cloacae, sentinae, cemeteria, speluncae, et cryptae subterraneae, fumeta, lanienae atque habitacula plurium hominum coagumentatorum eructant. Hinc origo scorbuti uberior ad oras maritimias, in locis depresso, sub zona torrida in nosocomiis, coecis carceribus, navium intabulatis, pauperum tuguriis, ubi veterascens aer recenti spiritu recreari nequit, inque illis regionibus, in quarum vicina, plurimae in prelio diro peremitorum victimae sepultae jacent, praesertim dum ver frequentibus imbris, ac ventis ab austro spirantibus sordescit vel aestatis servor insolitus urget. — Singularem efficaciam in morbis naturae septicas et malimoris procreandis ostendunt effluvia regionum ulginosarum, udarum depresso-

rum atque paludum, nomine mephitis paludosae insignata.

Praecipuae partes constitutivae exhalationum paludosarum. principia inflammabilia esse videntur, uti gas acidum carbonicum, azotum, hydrogenium, sulfur, phosphorus, et particulae quaedam organicae, in vaporosam redactae formam, quod probant processus putrefactionis in paludosis plagis continuo vigens, inutilitas aeris pro respiratione et alimonia flammæ, prævalens tensio electricitatis negativæ, nec non spontaneæ inflamationes, ac inde originem ducentes, ignes fatui, stellarumque trajectiones.

Praeter maleficas aeris qualitates, etiam quantitas et qualitas victus potusque vitiatae scorbuto causam præbet. Hinc abusus carnis facile putrescentis, suillæ ferinae, piscium, ostrearum, farinae corruptæ, carnis digestu difficultis, uti caprinae. arietinae, avium maritimorum, hujus diserasiae sufficientem præbet fontem, denique alimenta pinguia sale marino condita, fumo vel gelu indurata: lardum, oleum, caseus, farcimina, vegetabilia varia, dura, tenacia, lentes, frumentum turcicum, sic dicta Polenta inde parata, Italæ familiaris. Huc etiam pertinet aqua corrupta, impura, ex locis inclusis soli imperviis, deprompta; aqua salsa marina, sive potui, sive culinae aut parandis aliis potulentis inserviens; alia tandem potulenta, uti vinum acescens, non debite fermentatum, cœrvisia substantiis acribus, narcoticis imprægnata ad vim nempe inebriantem augendam.

Symbolam autem praecipuam ad scorbutum generandum penuria victus largitur; illis enim temporibus, semper visus epidemicus quibus fames grassabatur. Sic anno 1763 Neapoli multos invasit homines, farinam destructam ad cibos condendos ex necessitate adhibentes, frequentissimus fuit anno 1771 ubi leguminibus maxima ex parte, radicibus herbarum, corticibus arborum ad gravem sedandi famem vesci cogebantur.

Peculiari demum modo septicam discrasiam gerant substantiae alcalinae et salinae, dein neglecta corporis cultura, spurcites corporis, vestimentorum domicilii etc. Motus et exercitia corporis facile in cachexiam ducunt, si negliguntur. Vita enim otiosa, nimio somno, quies nimis diurna facile stases passivas praestant, prouti autem neglectus corporis motus, ita nimia virium intentia exhaustionem provocat, et ad ortum scorbuti multum confert.

Animi passiones principalem exerunt actionem in systema nerveum, reproductivum et hanc cachexiam gignunt, praecipuae vero pathemata animi deprimentia ansam dant, uti tristitia, moeror diutinus, timor, anxietas, taedium, nostalgia, atrae omnis generis cnrae quae vires systematis nervosi deprimunt, torporem respirationis inducunt, talique ratione oxidationem turbant, sanguinis poësin alterant, et omnes functiones systematis reproductivi confundunt imbecillesque reddit. Quare etiam pauperes, incarcerati, curis gravibus vexati, de meliore sorte desperantes, nimis desiderio descedendi ad Lares patrios, melanochi, scorbuto frequenter corripiuntur. Sic narratur ca-

sus, ubi quidam intra nychtemeron ob jacturam bonorum incendii causa confertissimis obsessus est maculis. — Quod animi pathemata efficere sciunt, indirecto modo, nimiae intentiones mentis, studia protracta, aliarumque functionum nervosarum, praecipue veneris abusus praestare potest. —

Electricitas, lux, calor, potentiae dynamicae externae sunt, quae suo influxu in organismum, functiones vitales mirifice promovent, et si deficiunt, functiones torpidas reddunt, earum aequilibrium varia ratione turbant. Minus notus est influxus Electricitatis in functiones systematis reproductivi, quam nervosi, videtur tamen juxta eadem principia et easdem regulas generales dirigi, ut negativa electricitas, quae languorem nervorum inducit, et Vegetationis processum retardat. Ita videmus quod sub quibusdam circumstantiis atmosphericis, in quibus electricitas negativa praevalet, minorem esse systematis reproductivi evolutionem, uti observatur in regione humida. Manifestior patet lucis influxus in vegetabiles. Plantae in tenebris languent, et si per aliquam viam lucem inveniunt, eam versus semet dirigunt, quod in vividariis conspicimus. Lux igitur sistit principium summi momenti, pro vegetationis processu, adeo ut plantae et animalia luce privata tristissima sint.

Praecipuam attentionem morbi praegressi merentur, et quidem, tam lenti febres, quam afebriles cachectici, morbi nervosi, diurnae febres inaffinitariae, gastricae et praecipuae intermittentes, cum infarctibus viscerum abdominalium, praesertim lienis, complicatae; dein scabies, lepra, hemorrhagiae, hydrops etc.

Febris quartana p^rae aliis in scorbutum degenerat, sed et febres tertianae diurnae, praesertim quae verno incipiunt tempore, et post septimum Paroxismum quotidie apparent; quod eo libenter accedit, si simul obstructiones viscerum abdominalium adsint. Producta denique morbosa, qualiscunque colligationis aut putrescentiae localis, uti: sanies foetida ulcerum malignorum et canceriticorum, tabuin gangrenosum, sphacelus partium tam internarum quam externarum, foetus intra uterum corruptus, secundinarum reliqua, post partum non educta. Eminentem virulentiam ostendunt, quidam morbi septiei brutorum uti enthrax, gangrena splenica, corizza virulenta equorum, quorum fomites hominibus fortuito insiti, non minus existiales inferunt clades, quam esus carnis animalium iis malis enecatorum.

Quaevis tandem contagia nisui in liquationem auscultant septicam, ideoque febres contagiosae loimiae libenter abeunt in putridum characterem. — Syphilitica lues eatenus scorbutum producere valet, quantum debilitatem processus vitalis inducit, aut sola, aut per usum mercurialium, largiori manu, et longiore tempore adhibitorum, nec tamen alia affinitas inter morbum utrumque intercedit, ut nonnulli demonstrare conantur. Signa enim quae adducuntur, utrique morbo convenientia, morbis reproductionis omnibus, hanc vegetationis indolem p^rae se ferentibus, convenient. Per juvantia, et nocentia, optime haec falsa comparatio refutatur. Denique etiam abusus remediorum symbolam suam ad morbum gignendum contribuit; quae nempe modo directo et indirecto vires exhauriunt, or-

ganiatum extenuant, solidorum compagem destruunt, uti opium, acidum borussicum, hydrosulfuretum ammoniae, aliaque narcotica, quae singulari modo nervorum energiam infringunt, succosque resolvunt animales. Simili ratione Cuprum et Arsenicum agunt. — Quo plures concurrunt potentiae nocivae, eo facilior erit scorbuti origo, et eo major ejus saevities, quaem admodum id inter egenos nec non tempore calamitatum publicarum observare licet.

Nosogenia morbi.

Überima origo cachexiarum habetur, ita et scorbuti, in specifica indole alterata processus vegetativi, singulisque sphaeris, sic incipiente ignava assimilatione, nascitur chilificatio depravata, et sic cachexia pituitosa; emphraxis mesenterica reassimilationem laedit, hematopoësis autem seu oxydatione vitiata scorbutum inducit. Ex his perspectis momentis, perpensa ratione, qua causae in organismum agunt, et cossiderata morbi evolutione, causa proxima quodammodo definiri potest. Perpendendo quod causae juxta chemicas plerumque agunt leges, quod phoenomena observantur in vitiata forma organica et miscela, sponte patet, chemismum animalem vitiatum esse debere. Causa proxima itaque scorbuti ponenda erit, in abnormi totius systematis reproductivi et organisationis conditione, praecipue in systemate venoso apparente, sanum corporis habitum alterante, cum nisu in liquationem. Liquatio inde, uti ceterarum cachexiarum, ita et scorbuti communem sistit finem.

Organismus enim cachecticus, legibus chemicis universalibus obediens, resolvitur et liquecit.

Multas ceteroquin habemus de scorbuti Nosogenia, de indole et charactere hujus morbi hypotheses. Humoralistae essentiam morbi, in humorum qualitatibus pravis quaesiverunt. Supponebant enim in humoribus varias discrasias, mox ex densitate, coagulo, mox ex tenuitate et dissolutione, mox ex moleculis heterogeneis, biliosis etc originem trahentes. Vario modo itaque morbum modisicabant; distinguentes: scorbutum acidum, alcalinum, rancidum, acido austерum. Alii in putredine sanguinis; in succo ossium corrupto alii morbi naturam statuebant. Solidistae Pathologi ex alterata solidorum conditione, ex debilitate, mollitie harum partium theoriam repetebant. Reclamat autem ratio et experientia hisce hypothesibus, quae arcto limite partes organismi ab aliis partibus perfecte separant.

Praesagium.

Ex perpensis scorbuti terminationibus prognosis fluit. — Haec vero vel rationalis vel empirica est Rationalis desumitur ex scrutinio omnium momen-torum, quibus indicationes diriguntur, unde ex sub-jecti conditione, ex causis et symptomatibus. etc.

Ex istis rite consideratis, spes salutis, vel periculum futurae mortis emergit. Constitutio igitur aegri laudabilis, imminutio macularum manifesta, tum quoad numerum, tum quoad ambitum, transspina-tio modica, calor normalis, diarrhoea non debilitans,

**etsi scorbutus gravem sistit morbum, spem sanatio-
nis largiuntur.**

**Faventibus sub circumstantiis, medelaque rite ad-
hibita non tantum in primo, sed in altero stadio sa-
nitati cedit.**

**In tertio vero stadio reditus in sanitatem diffici-
lior est, morteque plerumque terminatur. Fatalis est
complicatio cum Arthritide, syphilide, alioque gra-
viori morbo, praecipue ubi contradictio indicationum,
uti in lue venerea therapiam dirigit. Diuturnior
morbi decursus malum exasperat. Apprime hoc L.
B. de Störk expressit: In principio hic morbus facil-
lissime saepe sanatur, quo profundiores autem egerit
radices, eo molestior fit, et quando simul integre
invaluit, et internas partes adgressus est, curae spes
superest nulla. Conclamatum fere de aegro est, si
respiratio difficilis est, et anxia, si ulcera putres-
centia, debilitas magna, syncope hamorrhagiae pa-
raliticae, variolae, phthisis, hydrops in conspectum
veniant.**

T h e r a p i a.

**In cura hujus morbi rite instituenda, plurimum
interest, ut causae effientes eruantur, atque cognitae
per quantum fieri potest amoveantur, vel saltem ener-
ventur, tali enim pacto haud raro succedit, nascentis
morbi germen destruere, ejusque impetum oculare,
ac instans periculum avertere. Convenit itaque pro
casuum diversitate: deleterias aeris qualitates dissi-
pare vel corrigere, putrescentes saburras eliminare,**

victus rationem emendare, animum desponsum exhibilare, effrenas humorum profusiones coercere, saniem alicubi effusam evacuare: diaetam adhibere nutrientem, simul stimulantem discrasiae seorbuticae oppositam, vegetabilia recentia, acidiuscula, fractus horraei acidulos, uti cerasi, pira poma, pruna, fraga, poma aurantiaca et citrica, ova sorbilia; aquam pro potu puram et recentem, aceto, succo citri, acido tartrico remixtam, vel aliquot guttis elix: acid. Halleri impregnatum, decoctum Malthi, cerevisiam bonam, vinum acidiusculum, cum aqua sufficienti quantitate dilutum. Ast rarissime ejusmodi therapiae directae conceditur locus; partim quod causas amotiri non licet, partim quod iis etiam rite cognitis, amovendis, imo amotis morbi decursus truncari nullatenus potest.

Indirecta medendi ratio, virium vitakum conditioni adcommodanda est.

Reproductio organica hocce in morbo ea ratione alterata, ut abnormis vigeat in liquationem propensiō, maximum niedentis postulat respectum. Remediorum igitur hoc intuitu seligendorum, actio, talis sit opportet, ut in processu vitali vegetationem exalent, principia phlogistica uberioris extricata et in dissidium prona figant, abnormalē expansionem infringant, maioremque materiae organicae vim plasticam et nisum in cohaesionem concilient. Id praestare valent: nutrientia, stimulantia, acida, roborantia, quibus omnibus, habita ratione potestatis putridam dissolutionem arcendi antisepticorum remediorum nomen apprime competit. Quatenus nutrientia vegetationis processum intendunt, talique ratione conditiones putredini adver-

as inducunt, in cunctis morbis e statu liuationis oriundis maximam defendunt utilitatem. Praecellunt vero nutrientia vegetabilia, quatenus majori abundant oxygenii quantitate dummodo simul eupepta sint.

Ad stimulantia pertinent vegetabilia acria: Nasturtium aquaticum, Rumex acetosella, Armoraceae, Cepa, Allium, Cochlearia, et quidem aut recens succus, aut conserva, spiritus vel infusum vinosum. Dein remedia quae torpidum systematis arteriosi statum erigere valent, praecipue commendantur aetherea oleosa, acria, radix calami aromatici, Pinpinellae, Zedoariae, Zingiberis, Cortex Cinammomi, baccae Juniperi et frondes sabinae.

Acidorum virtus nulli practicorum est ignota, unde omni jure inter praestantissima antiseptica numerantur. Praeplacent acida vegetabilia, uti acetum, succus citri, acidum tartricum, quae naturae animali magis amica et homogenea sunt, atque ob laxiorem elementorum componentium unionem, facilius resolvi et assimulari videntur.

Altior tamen septicae diatheseos gradus, ipsorum mineralium acidorum opes implorare jubet in quibus major exstat copia oxygenii, eo facilius extricandi, quo majorem inveniat in organismo, principiorum phlogisticorum liberorum anthitesin. A perfectioribus eorundem acidorum dosibus audacius propinatis, effectus benefici plurimum dependet, Reichio docente. — Praestat vero pro usu interno acidum sulfuricum dilutum, ad duas drachmas vel unciam dimidiā, ex aqua sacharo condita vel decocto quodam mucilaginoso portatum. Multi elixirium acidum Halleri vel elixirium

vitrioli aromaticum Mynsichti praediligunt. Alii denuo acido muriatico multo majorem tribuunt efficaciam, praesertim si putridus formes in primis viis redundet. **Goeden acidum phosphoricum apprime respondisse testatur.**

Nuperrime novum innotuit antisepticum kali ut-pote muriaticum oxygenatum, quod oxygenio resoluto uberrime scatet, et ob hanc proprietatem vix cum quodam alio aequiparari potest remedio. Exhibitetur ad granorum duorum, vel quatuor dosin, forma pulveris omni hora sumendam. Sub ipsa vero pulveris confectione, maxima providentia observanda, ne explodat. Salem culinarem acidis vegetabilibus cupulatum Cel. Wright ut efficacissimum collaudat remedium antisepticum, aliis alumen crudum magis opportunum videtur.

Requirit quoque Scorbustus remedia roborantia amara, amaro-aromatica, martalia et adstringentia, quae nempe materia scytodephica scatent, quapropter etiam in morbis septicis suppetitas ferunt, uti sunt: cortex Aurantiorum, radix Gentianae, Absynthium, trifolium fibrinum, Centaurium minus, sub forma infusi, decocti, extracti, tincturae. Praecipuas tamen laudes sibi promeruit cortex peruvianus. Praestat forma decocti saturati, extracti vel tincturae; pulvis chiae ventriculum gravat mole, et a debilibus ejus viribus difficulter subigitur. Additione aromatis vel alias stimuli difusibilis in primis acidorum mineralium, dulcificatorum, efficacia corticis peruviani mirum in modum acuitur. — Oxigenum tandem ipsum adhiberi potest, id vel aeri athmospherico admiscendo, vel aquam eodem impraeagnando. Durationi Scorbuti, ejusque evolutioni, atque debilitati virium vitalium

adcomodanda esse medicamina adnumerata, per se patet.

Frigus putredini inimicissimum, in morbis septicis tantas exerit vires, ut Lettsom solo frigoris et chiae usu, plurimos sanaverit aegros. Magni igitur sunt momenti remedia externa: lotiones vel ex mera aqua frigida, vel potius cum remedii spirituosis, vino, cremato, spiritu camphorato, spiritu angelicae composito, infuso vinoso herbarum aromaticarum: commendanda tandem balnea aromatica, spirituosa.

Cura tandem etiam in symptomata perniciosa et principalia dirigenda est. Haemorrhagiae praeter usum internum remediorum antisepticorum et roborantium, externis quoque egent adminiculis, quibus funestae exinanitionis sequelae avertantur. Profluvia sanguinis e naribus, utero, et intestino recto, sistuntur fomentis frigidis, injectionibus ex decocto chiae, solutione aluminis, vel acido vitriolico, aqua diluto, pessis et turundis, quae ex linteo carpto conficiuntur, mox dictis liquidis adstringentibus imbuuntur, atque ostiis cruentis eructantibus admoventur. In casu haemoptyseos, haematomeseos vel haematuriae, fomenta frigida pectori, epigastrio, vel regioni renali superimponuntur, intus vero bellaria glacie condita, et adstringentia fortiora, uti alumnen, vel extractum fructuum Arecae Catechu propinrantur.

Gingivae fungosae sanguinem fundentes, gargarismata requirunt, e decocto quercus, Chiae, Tormentillae, Salviae cum spiritu Cochleariae, acidis mineralibus, tincturae Myrrhae, aluminae, plagae

gingivarum exulceratae, acido cītrico, vel sulfurico diluto, aut mele rosarum remixto humectantur. Ulcera gangrenosa generalibus tractantur regulis, solutione aluminis in aqua, decocto **Tormentillae, Chīnae, Salicis etc.** alumine forma pulveris, acidis dilutis, cataplasmatibus, ex **Dauco, Carota, Camphora, Myrrha, unguenti forma et s. p.**

Memoratu digna est complicatio peculiaris Scorbuti cum lue venerea, quam complicationem. Hunter negare voluit; experientia vero confirmat. Cum adhibito Mercurio, Scorbutes celerrime in pejus ruat, omnium primo sanandus. Si Syphilis aequē urget in hanc simul agendum, in quo casu acida mineralia, praestantissimum exerunt effectum, praecipue accidum nitricum; qui in hocce casu mercurialia, praesertim fortiora exhibet, ignem igni addit.

Ratio medendi Stomacacie, si levior fuerit, et incipiens, tantum sal amoniacus, magna aquae copia dilutum, addito pauxillo acetii, vel succi citri, efficacissimum sistit remedium, si os crebre illo colluatur. Evoluto jamjam sphacelo, acidum salis cum rosarum mele commixtum, **iac penicilli ope partibus putrescentibus illinitum prae aliis prodest.** Incassum tamen tentabunt topica cujusvis generis auxilia, qui internis medicamentis, septicam simul corriger diathesin negligunt, quapropter ad validissimas substantias antisепticas confugere necesse est, interquae cortex peruvianus, acidum sulfuricum, et camphora semper suam defendunt praestantiam. Cel Heim, emeticorum, et Mend Catharticorum refrigerantium, usum proponunt, quorum tamen efficacia,

in illis tantum vindicari posset casibus, ubi manifesta sordium gastricarum colluvies septicam sovere iuvat diathesin.

Sectiones cadaverum.

In cadaveribus scorbuto defunctorum, vestigia processus vegetationis fere extinti inveniuntur.

Sanguinis solutio putrida universalis, reperitur; apparent in cavis majoribus, praecipue in cavo pectoris, abdominis, pericardio, collectiones seri viridescentis, nonnunquam ita corrodentis, ut immersas epidermide privet manus, inveniuntur tandem extravasatus sanguis, plagae gangrenosae in diversis partibus, praecipue visceribus; omnes musculi, simul ac cor pallescunt, sunt praeterea, lividi et marcidi, pulmones, splen, et alia viscera, sunt subatra, et ferme soluta; ossa, praecipue in apophysibus vel emollita, in fungosam distenduntur massam, vel valde fragilia; epiphyses autem facile ab ossibus separantur. —

Theses defendendae.

1.

Causa scorbuti proxima, deficiens in sanguine oxygenium.

2.

Febris putrida est scorbutus acutus.

3.

Genesis Catarri, e cutis externa functione laesa haud difficulter concipitur.

4.

Indoles febris puerpuralis, in principio et decursu regulari semper inflammatoria.

5.

Pleuritides frequenter sunt occultae, quia indolentes, inde gravissimi errores in praxi succedunt.

6.

Opus dentitionis quandoque diversorum malorum, in aetate maxime tenera, scaturiginem praebet.

7.

**Oppletio, sive plethora dynamica, ubetem
fontem febrium nervosarum largitur.**

S.

**Vitalitas aucta, debilitatis verac, contem-
poralem admittit existentiam.**

9.

**Diathesis catharralis, rheumaticam plerum-
que excludit, et vice versa.**

10.

**Rheumatogeneseos ratio, in sublato aequi-
pondio, inter electricitatem atmosphaericam
et animalem querenda est.**

11.

Pinguedo proprium pilorum solum est.

12.

**Partitio erysipelatis, in internum et exter-
num, rationalis Nosologiae principiis, prorsus
repugnat.**

13.

**Nulla datur febris verminosa, absque col-
luvie mucosa.**

14.

**Amaurosis merito medicorum vexa, artis
opprobrium nominatur.**

15.

**Empiricorum axioma: ubi saburra, ibi
purgandum, notabilem postulat restrictionem.**